



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Nicaenum consilium vicesimo: Encaeniorum celebritas Hierosolymis
tricesimo eius imperij anno habita sit. Cap. XLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

*Quòd Nicænum consilium vicesimo : Encæniorum
celebritas Hierosolymis tricesimo eius
imperij anno habita sit.*

CAP. XLVII.

HVnc secundum conuentum, quem equidem scimus maximum, post illum Bithiniæ clarissimum Nicæni, ipsis Hierosolymis imperator collegit. Sed ille Nicænus triumphî nomine, vicesimo imperij anno constitutus in ipsa vrbe Nicæa Νίκαια .i. præclaram de hostibus victoriam reportabat. Hic verò Hierosolymitanus, tricesimum eius imperij annum decorabat, in quo imperator Martyrium consecrans circa ipsum seruatoris monumētum quasi donum quoddam pacis, Deo omnium bonorum largitori offerre visus est.

*Quomodo non tulerit quendam Constantinus
cum ab eo immodicè predicaretur.*

CAP. XLVIII.

Hisce iam rebus omnibus absolutis & confectis, cum per omnium ora de maximi imperatoris virtute fama volitaret: ausus est è sacerdotibus aliquis illum in os beatum dicere, quippe qui tum in hac vita dignus esset, qui summam rerum omnium potestatem haberet, tum verò in futura cum filio Dei vna regnaret. Sed is cum se hæc moleste audire significasset: hortatus etiã est, ne auderet aliquando eiusmodi vocem vsurpare: sed à Deo potius precibus contendere, vt & in hac vita & in futura Dei famulatu dignus videretur.

Nuptiæ Constantii Cesaris filii Constantini.

CAP. XLIX.

Confecto igitur tricesimo imperij anno, quoniam iam multo ante grandioré natu filium in matrimonio collocasset: secundo filio nuptias apparabat: In quibus omnium lætitia celebrata fuere conuiuia: cum ipse imperator sponsum filium manu deduceret, conuiuiumq; splendide & magnificè instrueret: cumq; separatim virorum cætus, separatim etiam mulierum choros, præterea vniuersos

P p 5 popu-